

ARTICULUS II. — Episcopi sive seorsum sumpti sive etiam in conciliis particularibus congregati relaxare nequeunt iure proprio ecclesiastica impedimenta Matrimonium dirimentia.

Disserimus hoc in articulo adversus illos, qui data opera non minus episcopis quam Romano pontifici facultatem relaxandi impedimenta dirimentia convenire contendunt, seu contendunt posse episcopos non secus ac Rom. pontificem concedere dispensationes illius saltem speciei, quam ipsi *ex iustitia* vocant, ut infra explicabimus. Talis inter caeteros est anonymus quidam auctor saeculi elapsi (29), et cum eo Nestius, Litta, aliique eiusdem temporis scriptores novitatibus studentes pacisque ecclesiasticae perturbatores. Neque vero ut episcopis directe blandirentur aggressi sunt id ostendere, sed ut laicae potestati potius faverent. Siquidem, ut deinceps videbimus, vindicata semel et asserta episcopis hac facultate, principes poterunt episcopos in propria ditione degentes cogere ad praebendam, quam exoptant, dispensationem.

Perperam porro factiosos hos homines coniti ad efficiendum, quod sibi proposuerunt, facile evincimus insistentes methodo nostrae, quam hactenus sectati sumus; tum ex ipsa rei, qua de agitur, natura; tum ex totius antiquitatis consensione et praxi; tum denique ex auctoritate. Haec singillatim evolvamur oportet. Ac primum quidem, nullum ius episcopis inesse solvendi, seu amovendi impedimenta coniugium dirimentia satis ex ipsa evincitur idea episcopalis auctoritatis limitibus circumscriptae, atque pontificiae auctoritati subordinatae atque obnoxiae.

Etenim cum de re agatur, quae ad disciplinam pertinet universam Ecclesiam spectantem et ab eadem Ecclesia constitutam vel probatam, si ipsis ius inesset ab impedimentis dispensandi, actum esset de iurisdictionis episcopalis circumscriptione, deque ipsorum subiectione auctoritati pontificiae. Essent enim ve-

(29) *Diritto libero del sovrano sul matrimonio*. Opus sine nomine tum auctoris tum loci.

luti totidem pontifices summi, qui iure fruerentur relaxandi quaecumque legem universalem pro universalis Ecclesiae bono sancitam, quod absonum omnino est: solveretur quippe unitatis ecclesiasticae compago; frustra constituerentur eiusmodi leges, quae ex singulorum praesulum arbitrio infringi possent; possent inferiores in legem a superiore auctoritate sancitam exercere potestatem secus ac iuris natura ferat (30); actum proinde esset de disciplinae universalis integritate atque incolumitate.

Ex paritate rationis caetera omnia salubriter sive a Rom. pontificibus, sive ab oecumenicis conciliis statuta dilaberentur. Eo vel magis quod in tanta praesulum multitudine et ingeniorum indole ac varietate difficile prorsus haud esset non paucos inveniri aut nimis faciles aut nimis desides, aut circumventos, qui ecclesiastica iura pessumdarent (31). Maius vero ingrueret periculum quoad illos, qui principum minis et violen-

(30) Ex historia ecclesiastica novimus, non pauca impedimenta fuisse prius in conc. provincialibus constituta, quae deinceps ab Ecclesia universa probantibus Rom. pontificibus, recepta sunt; de illis oecumenica concilia canones edidisse, ac Rom. pontifices saec. praesertim XI. et XII. responsa et decreta emisisse; novimus praeterea, aliquot ab oecumenicis conciliis primum constituta fuisse, ut a Lateranensibus an. 1159. sub Innoc. II. et 1215. sub Innocentio III; aliqua demum confirmata aut explicata, ut a Viennensi, aliisque recentioribus. Porro certum est apud iuris utriusque peritos effatum: *Inferiorem nihil in superioris legem posse*. Quod etiam in Clementina *De electione et electi potestate* cap. *Ne humani* diserte traditur: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*.

(31) Quod scite animadvertit cl. Thomassinus *De beneficiis* par. II. lib. III. cap. 24. n. 44. scribens: « Ubi primum desinente sec. III. frequentari coeperunt concilia in provinciis singulis tunc episcopis ipsis consultissimum visum est, ut ad illa referrentur pro dispensationibus ponderanda. 1. Nec enim solvi leges posse, nisi ea auctoritate, qua et condi. 2. Brevi ruituram canonum disciplinam, si quot episcopi tot essent eius solvendae auctores, ubi singulis adlubesceret. 3. Optari magis posse, quam sperari, ut ea tota et sapientiae luce et vigoris constantia instructus sit quisque episcopus, quanta desideratur, ut provide semper dispensetur et sobrie. 4. Ne toties movendae sint lites in episcopos, qui improvide aut nulliter dispensassent; 5. multo expeditius esse, ut potestas ea tota semel transferatur ad concilia provincialia. » Idque annuentibus Rom. pontificibus factum est.

tiae cedendo ad illorum interdum iniquam voluntatem se pronos praeberent, prout experientia, rerum magistra, non semel bonorum omnium moerore ostendit. Fieri itaque nequit, ut amplissima eiusmodi facultas episcopis inhaereat, qua semel admissa, canonum vigor, oeconomia ecclesiastici regiminis ac disciplinae universalis penitus everterentur. Constat igitur ex rei natura, episcopis facultatem, de qua agitur, tribui haud posse.

Id ipsum pariter ostenditur ex totius antiquitatis consensione et praxi, prout secundo loco efficere constituimus. Quod argumentum ut rite expediamus, coniugia in primis distinguamus oportet cum aliquo impedimento iam contracta a coniugiis cum eodem impedimento contrahendis. Si quidem dispar obtinuit in Ecclesia circa haec agendi ratio. Nam quoad iam contracta, etsi primitus receptum fuisset, ut solverentur iuxta canonum decreta ac pontificias sanctiones (32); attamen licet raro, identidem tolerabantur ab episcopis, praesertim in conciliis provincialibus, aut nationalibus, si ita causae gravitas exposcebat, et sanabantur, seu relaxatio dabatur (33).

Non tamen putandum est episcopos sive singillatim spectatos,

(32) Quod ut nonnullis exemplis confirmemus ac illustremus, ita sancitum fuit in concilio Agathensi an. 506. can. XX., necnon a Joanne VIII. in epist. relata a Gratiano cap. 47. causa 28. q. 2. item ab Alexandro II. cap. 74. Hinc reperimus dirempta coniugia male inita an. 862. Iudith viduae et Balduini, qui eandem rapuerat. Et an. 949. Amalarici Hannoniensis comitis et filiae Isaaci comitis Cameracensis sub Fulberto, Cameracensi episcopo, qui nullo modo induci potuit sive minis, sive promissis ad illud coniugium sancendum, ut refert Baldericus, Tornacensis episcopus, lib. I. cap. 75. An. 971. Comitis nobilissimi Angli, qui duxerat sibi consanguineam sub S. Dunstano, qui pariter nunquam adduci potuit, ut incestum coniugium probaret, ut refert eius biographus Osbertus, qui S. Dunstani acta sec. XII. perscripsit. Anno 972. Henrici et Hathelburgae, quam ille sibi in uxorem adseverat, etsi monasticam vitam professa fuisset. An. 1085. id ipsum contigit circa coniugium Hermanni Regis, quod a Gregorio VII. diremptum est. Plura alia exempla occurrunt diremptorum eiusmodi coniugiorum apud Ivonem, Carnotensem episcopum, quem *Communem galliarum magistrum* appellant, quique floruit sub XI. sec. finem ac sequentis initia. Cf. eiusdem epistolae de quibus iterum redibit sermo.

(33) De eiusmodi sive dispensatione, sive ob gravissimas causas ab episcopis aut a conciliis provincialibus adhibita indulgentia seu dissimulatione respectu

sive congregatos in conciliis ita se gessisse in probandis aut tolerandis coniugiis cum impedimento aliquo initis absque ulla a Rom. pontifice dependentia aut assensus influxu. Nam 1. interdum Rom. pontifices ipsorum antistitum iura quoad has causas sibi vindicare consueverunt, ut patet ex facultatae a Io. VIII. Troiae in Apulia ad synodum vocatis episcopis concessa (34). 2. Interdum quoque in impedimentorum causis ab episcopis diiudicandis regulas servandas statuerunt, prout praestitit Urbanus II. an. 1093. in concilio pariter Troiae in Apulia coacta (35). 3. Interdum conciliorum sive provincialium, sive nationalium in eiusmodi causis iudicia resciderunt, prout factum vidimus a Nicolao I. quoad tria concilia Aquisgranensia, Metense praeterea et Trecense in causa divortii Lotharii regis et Theutbergae, nec non a Gregorio V. qui in concilio Rom. II. an. 998. Ermambaldum, Turonensem archiepiscopum, et episcopos, qui Roberti, Galliarum regis, cum Bertha matrimonio adsensum praebuerant, anathemate percudit; prout a S. Leone IX., deinde vero in causa Philippi Augusti a Coelestino III. et ab Innocentio III. factum fuisse superius diximus. Ex his aliisque non paucis, quae in medium facile afferri possent, comperitur fit episcopos etiam in conciliis congregatos, quoad ipsa coniugia iam inita cum impedimento, nunquam relaxationes indulsisse absque debita Rom. pontificibus subiectione ac dependentia.

male initorum coniugiorum nonnulla in praecedenti articulo exempla praebuimus. Quibus addi potest quod gestum est in Agathensis concilii an. 506. celebrati canonibus additiis. can. LXI. quem adoptavit conc. Epaonense an. 517. can. XXX. Item in conc. Aurelianensi III. an. 538. can. X.; nec non in Compediensi an. 557. can. I. in quibus omnibus, dum matrimonium in quarto consanguinitatis gradu contractum toleratur, ne in posterum contrahatur prohibetur et irritum declaratur. Longum nimis esset hic singillatim exempla afferre, quae eiusmodi coniugiorum occurrunt sec. XI. et XII. Adeoque lectorem remittimus ad eruditam *De episcoporum in dispensationibus super matrimonii impedimentis potestate dissertationem*. Faventiae 1789. quae est cl. Zacchariae, cap. 1. §. 1. n. 7-9.

(34) Apud Zacchariam in dissert. cit. cap. II. §. 2. n. 1.

(35) In collect. maxima concil. Veneta tom. XX. col. 790. cap. I.

Caeterum, his dimissis, ut ad impedimentorum deveniamus relaxationes praevias, de quibus praecipuus est sermo, nullam in his potestatem inesse episcopis ex totius antiquitatis consensione et praxi haud difficile est ostendere. Nam quod attinet ad XII. priora Ecclesiae secula, nullum est dubium potestatem hanc episcopos non exercuisse, cum nullae omnino eiusmodi relaxationes concederentur; at eo tempore tota ipsorum potestas unice versabatur, ut ostendimus, Romanis pontificibus annuentibus, circa coniugia iam contracta, et hoc etiam raro admodum. A seculis autem XII. et XIII. ob rationes, quas indicavimus, nova disciplina induci coepit, qua dispensationes concederentur, cum opus esset, antequam coniugium iniretur cum eiusmodi impedimentis. Porro novam hanc disciplinam omnium primi invexerunt Rom. pontifices, qui, probante Ecclesia universa, soli atque exclusive legitime eam exercuerunt: neque ab illa aetate ad nos usque, nempe per septem plus minus secula, proferri vel unum potest exemplum de praevia relaxatione ab episcopis iure proprio concessa (36).

Tantum vero abest, ut sibi episcopi auctoritatem hanc aliquando tribuerint, ut potius publicis actis eam sibi non competere declaraverint. Sane in Turonensi concilio, quod an. 1583 celebratum est, cuique duodecim Galliarum praesules inter-

(36) Nonnulli autumarunt, episcopos Gallos, cum accepissent a Paschali II. redintegrandum fuisse coniugium Philippi et Bertrade, quod antea dissolutum fuerat, sibi Paschalis exemplum imitandum sumpsisse, concedendo praeviam dispensationem. Ad ita sentiendum permoti sunt ex iis, quae refert Hildebertus epist. XXXIV. ad Rhotomagensem archiepiscopum, « Sibi nempe Waltherum *submurmurantem* retulisse illos (episcopos), data scripto facultate, » permisisse ut filiae Gauterii de Meduana liceret comitem Mortonium in vetito gradu maritum accipere. » Ast Hildebertus ibidem id sibi visum incredibile profitetur, subdens: « Mihi autem nec extorqueri assensus, nec persuaderi potuit, prudentiam vestram in eorum simplicitatem descendisse, » atque ulterius progrediens adiecit: « cuius in parochiam nupta demigrasset » eius fore usque ad dissidium illis nuptiis resistere. » Adeoque patet eiusmodi dispensationem commentitiam esse. Accedit praetensam dispensationem a Paschali I. aut non datam, aut dubiam saltem esse, ut postea dicemus.

fuerunt, hic canon tit. IX. *De matrim.* editus est: « In quarto » consanguinitatis et affinitatis, nec non cognationis spiritualis » prohibitis gradibus *episcopis dispensare non licere declaramus* (37). » Idem constitutum est in concilio Tolosano, cui praefuit archiepiscopus Tolosanus, card. de Gaudiosa, an. 1590. Sic enim decernitur sub tit. *De matrim.* « Quos cognationis » gradus impedit, nisi visa prius summi pontificis dispensatione, » in matrimonii coniunctionem parochi non recipiant (38). » Neque alia ratione concilia Lingonense et Trecense his verbis id declararunt: « Inter cognatos et affines non est legitimum » matrimonium, nisi cum eis sit per Sedem apostolicam dispensatum (39). » Prout pariter praestitit concilium Narbonense an. 1609. Alii quoque Galliarum episcopi hac de re populos sibi commissos monitos voluerunt. Sic in codice Statutorum Aurelianensium tit. *De matrim.* D. D'Elbene: « In impedimentis, » inquit, quae dirimunt matrimonium, ubi dispensationi locus » est, auctoritate tantum apostolica dispensatur, ita ut sine rescripto dispensationis Roma debite expeditae matrimonium » nullum sit (40).

Cumque Syracusarum episcopus quaesivisset per litteras ad card. Corrado, Alexandri VII. prodatarium, liceretne sibi, quod a nonnullis conterminis episcopis factitabatur, gravissima urgente necessitate, ante contractum matrimonium super publico dirimente impedimento dispensare? Cardinalis pontificem consuluit. Porro ille rem ad sac. concilii Tridentini congregationem deferri iussit, proposito dubio: « An episcopus in casu » urgentissimae necessitatis possit ante contractum matrimonium in impedimento publico dispensare? » III. autem idus Martias an. 1660 respondit sac. congregatio, *negative*. Neque his contenta sac. congregatio *sanctissime inquisitionis qualifica-*

(37) Harduin. *Acta concil.* tom. X. col. 1405.

(38) Ibid tom. X. col. 1804.

(39) Prout ex his conciliis verba refert collator Parisiensis tom. III *De matrim.* lib. V. collat. I. §. 6. pag. 554.

(40) Apud Zachariam op. cit. cap. IV. §. 4.

*toribus*, quos vocant, mandavit, ut de dispensandi certis in casibus super gradibus matrimonium dirimentibus praesumpto a quibusdam episcopis iure sententiam ferrent. Tulerunt autem his verbis: « *Propositio asserens*, episcopum posse dispensare in » publico impedimento matrimonii dirimente consanguinitatis » pro matrimonio contrahendo sive in articulo mortis, sive in » alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non pos- » sint expectare dispensationem Sedis apostolicae, *est falsa*, » *temeraria*, *scandalosa*, *perniciosa et seditiosa*. Quapropter » eadem S. concilii congregatio tandem XIV. kal. Februar. » an. 1664. censuit: *mox exscriptam propositionem esse falsam* » *et temerariam* (41).

Itaque ex Ecclesiae consensione et praxi patet, haud posse episcopos iure proprio eiusmodi impedimentorum relaxationes concedere: quod si forte attentaverint, nullas eas prorsus esse, utpote quae ipsorum auctoritatem excedant.

Quod si exemplum urgeretur nonnullorum episcoporum, qui sive in Galliis sive alibi relaxationes in quibusdam cognationis aut affinitatis impedimentis dedisse perhibentur, admissa etiam huius assertionis seu facti veritate, si legitima id ex consuetudine fecerunt, respondendum cum Benedicto XIV. ex apostolico quopiam indulto ac privilegio illam originem duxisse (42). Sane, cum XII. prioribus Ecclesiae seculis nunquam fuerit ab episcopis de dispensationibus matrimonio praeviis cogitatum, cumque novam hanc disciplinam, ut supra ostendimus, Romani pontifices primi invexerint, propagarint, sibi que vindicarint, non alia ratione excogitari potest in episcopos

(41) Rigantius *Comment. in reg. cancell.* tom. IV. *De regula XLIX.* apud cit. *Dissertat. de episcoporum in dispensandis* etc. cap. IV. pag. 80. sect. qui quidem eruditus auctor exinde falsitatis merito arguit, quod ex Gerbaisio *Tractatu pacifico* pag. 412. Collator Paris. §. I pag. 337. refert, celebrem quamdam cardinalium et praelatorum congregationem an. 1674. censuisse quidem dispensationes a nonnullis episcopis super matrimonii impedimentis concessas valere, non tamen suam hanc sententiam scripto mandari, aut edi in publicum voluisse.

(42) *De synodo dioecesis.* lib. IX. cap. II. §. 3.

consuetudinem hanc dimanasse, nisi ex eorundem pontificum, qui illos hac quoque in re in partem sollicitudinis vocarunt, indulto ac privilegio. Hoc vero dempto, nonnisi audaci facinori et Sedis apostolicae iurium usurpationi illa agendi ratio foret adscribenda, nisi velis in nonnullis ex priorum iurium limitationis ignoratione coepisse ac innoxie bona, ut aiunt, fide eos ita se gessisse, ast reclamantibus Rom. pontificibus, cum in his praescriptio dari non possit, eam omnino cessasse.

Ut accedamus ad tertium, quod proposuimus, argumentum ex auctoritate depromptum exponendum, nobis praesto sunt celebriores theologi et iuris canonici interpretes, immo quod caput est, summorum pontificum authenticae declarationes.

Atque ut a primis initium ducamus, ne nimii simus in illorum testimoniis afferendis, nonnullos seligemus ex iis etiam, qui minus favere pontificiae solent auctoritati. Incipiam igitur a cl. Thomassino, qui generale hoc lemma praestituit: « *Principatum auctoritatis in omnibus ecclesiasticis causis esse penes apostolicam Sedem; sed in aedificationem datam illi divinitus esse hanc summae potestatis praerogativam.... Haec certissima ratio ad solos tandem pontifices Romanos revocavit gravissimas quascumque dispensationes, hinc auctoritas supra alios episcopos excellentissima et ab ipso instituta Christo* (43). » Ex quibus patet, ideo ad solum Rom. pontificem, episcopis exclusis, spectare dispensationes, quod summum divinitus principatum obtineat.

Natalis Alexander: « *Circa impedimenta matrimonii, scribit, iure dumtaxat ecclesiastico constituta, summum pontificem*

(43) *Ecclesiast. discipl.* part. II. lib. III. cap. XXIV. qui praeterea cap. XXVI. n. 3. et 4. affirmat, quod in gravissimis quibusque causis ad Rom. pontificem confugerent fideles, episcopi et reges ea suasionem ducti, quod constantius canones ab eo servarentur: quum vero obtinerentur a Rom. pontifice dispensationes, existimarentur tanquam beneficia a principibus apostolorum collata. Cf. anonymum auctorem opusculi cui tit. *Defensio pontificiae auctoritatis in matrimonii impedimenta dirimentia.* Hierapoli 1786. part. II. §. IX.

» dispensare posse certum est, *eumque solum* regulariter, ut  
 » loquuntur, quum huiusmodi impedimenta sint vel a conci-  
 » liis generalibus, vel a summis pontificibus instituta, in quo-  
 » rum decreta potestatem non habent episcopi, quum eorum  
 » auctoritas et iurisdictio sit conciliorum generalium et Rom.  
 » pontificis auctoritate et iurisdictione inferior illisque subiec-  
 » ta (44). »

In institutionibus theologicis editis iussu Io. Claudii De la  
 Poype de Vertrieu, episcopi Pictaviensis, legitur: « In impedi-  
 » mentis iure ecclesiastico matrimonium dirimentibus *solus*  
 » *Papa* universim et ordinarie potest dispensare (45). »

Ludovicus Habert: « Ex communi, inquit, ecclesiarum con-  
 » suetudine, quae vim legis obtinet, *solius est summi pontificis*  
 » dispensare in impedimentis dirimentibus iure humano induc-  
 » tis, ubi praesertim agitur de matrimonio contrahendo. Uni-  
 » versalis enim usus recurrendi ad Sedem apostolicam dispen-  
 » sationis causa ab impedimentis dirimentibus indicat eam  
 » catholicorum mentem, eiusmodi facultatem esse ipsi reserva-  
 » tam (46). »

Iuveninius et ipse scribit: « Solum Papam, ex plenitudine  
 » potestatis et consuetudine multorum seculorum usu compro-  
 » bata, dispensare circa impedimenta dirimentia (47). »

Sic etiam Tournelyus inquirens quaest. VI. cuius sit facultas  
 dispensandi ab impedimentis matrimonii, respondet: « Contro-  
 » versiam hanc in concilio Tridentino agitatam fuisse nec de-  
 » finitam (48); nulla enim lege ecclesiastica generali, seu

(44) *Theol. dogm. de matrim. c. art. IV.*

(45) *De matrim. q. IV. concl. IV.*

(46) *De matr. cap. X. q. 1.*

(47) *De matrim. cap. IV. art. II.*

(48) Censeo Tournelyum his *verbis* alludere voluisse ad illud, quod ex Palaeoto paulo ante retulimus; at ex Palaeoto non aliud habetur, quam quod existimantibus nonnullis Patribus posse episcopis tribui facultatem dispensandi in quarto gradu, obsistente episcopo Augustae Praetoriae, Antonio Bobba, synodus universa in eius *cesserit* sententiam. Nihil praeterea hac de re actum est in Tridentina synodo.

» canone statutum habemus ad solum pontificem, exclusis epis-  
 » copis, pertinere facultatem dispensandi ab impedimentis ma-  
 » trimonii. Sola consuetudo et communis Ecclesiae usus hoc  
 » ipsi ius asserit (49). »

Billuart: « Haec potestas, inquit, (dispensandi ab impedi-  
 » mentis dirimentibus iuris humani) residet in summo pontifice,  
 » ad quem ut ad supremum Ecclesiae caput visibile quaecum-  
 » que sunt iuris ecclesiastici spectant: episcopi tamen, sive ex  
 » delegatione expressa vel tacite, sive ex usu approbato  
 » dispensant in aliquibus impedimentis (50); » nempe: si con-  
 » tingat eos dispensare, id ex concessione Sedis apostolicae faciunt.

Demum omissis Gonnetto, Herminerio, Opstraëto ipso, aliis-  
 que non paucis, Drouinius Gallicanae theologiae systemati  
 maxime addictus, interdum etiam ulterius quam par erat ad-  
 versus Rom. Pontificem progressus, tamen cum quaerit:  
 « Cui competat auctoritas super impedimentis matrimonii dis-  
 » pensandi? » Respondet: « Si de impedimentis dirimentibus  
 » agatur, *regulariter* loquendo, potestatem hanc soli summo  
 » pontifici convenire. Quamquam enim hoc nullibi legatur anti-  
 » quis canonibus constitutum, usus tamen invaluit, et genera-  
 » li disciplina receptum, ut pro huiusmodi gratiis obtinendis  
 » solus pontifex maximus adiri communiter deberet et posset;  
 » et merito quidem, tum propter debitam Sedi apostolicae  
 » reverentiam, cui potissimum canonum observatio et dispen-  
 » satio divinitus est commissa; tum quia cum impedimenta  
 » matrimonium dirimentia vel a conciliis generalibus, vel  
 » a summis pontificibus fuerint instituta, in quorum decreta  
 » potestatem non habent episcopi, consequens fuit, ut solis  
 » summis pontificibus deberet eorum relaxatio regulariter reser-  
 » vari (51). »

His coronidis gratia adicere lubet aetate hac nostra celebrem  
 auctorem, ac paulo ante non nimis proclivem erga iura Roma-

(49) *De matr. quaest. VII. art. ult.*

(50) *De matr. diss. VI. art. 5.*

(51) *De re sacrament. lib. IX. cap. IV. q. 7.*

nor. pontificum, nempe d. Ios. Carriere, qui postquam constituit, absque ullo dubio Rom. pontifici convenire potestatem relaxandi impedimenta dirimentia, propositionem seu conclusionem circa episcoporum hac super re potestatem, his verbis expressam ponit: « Episcopi non possunt, iure proprio dispensare generatim ab impedimentis matrimonii; » quam deinde docte evincit dissolvitque ea, quae ab adversariis contra eam afferri solent, argumenta (52).

Nullum igitur dubium moveri potest de communi theologorum catholicorum sententia quod episcopis tribui nequeat auctoritas, seu facultas relaxandi iure proprio impedimenta coniugium dirimentia (53).

Nunc vero demum id ipsum adstruimus auctoritate Romanorum pontificum, qui constanter sese ac fortiter opposuerunt iis, qui machinati sunt adversus Sedis apostolicae ius, ut illud in episcopos transferrent.

Primum huius rei documentum sit encyclica Clementis XI. ad archiepiscopos et episcopos Hispaniarum data an. 1709. Cum enim Philippus V. Hispan. rex, hoc ipso anno, eiecto apostolico

(52) *De matrim.* tom. II. n. 4063. seqq.

(53) En quibus verbis in *Col. Andegavens.* sensus praecipuorum in Gallis theologorum hac super re proponitur pag. 524. « C'est un sentiment universellement admis dans la morale et la discipline ecclésiastique .... Les théologiens et les canonistes français, les plus attachés à nos maximes, tels que Pontas, Habert, le p. Alexandre, Fleury, Tournely, Cabassut, l'Herminier, Ducasse, les conférences de Paris, de Luçon, Bouchel, ainsi que Rebuffe, tous l'enseignent unanimement... Deux ou trois auteurs, parmi nous, seulement, semblent s'expliquer diversement que les autres, Gerbais, Gibert et Lacombe... Encore lorsqu'on les examine de près, si l'on en excepte Lacombe, qui n'a point discuté la question, les autres ne s'expliquent que d'une manière timide, incertaine, et très-peu capable de rassurer. » Apud Carrière *De matrim.* tom. II. n. 4075. Qui addit: Et revera pleraque ritualia remittunt ad sum. pontificem et ad eum recurrunt plerique episcopi pro obtinendis indultis. His adiici possent ritualia ecclesiarum Germanicarum, ut *Agenda eccles. Coloniensis* an. 1720. *Agenda metropolit. Ecclesiae Moguntinae* 1695. *Rituale Trivirensis Lunenburgi* 1767. *Agenda pastoralis dioecesis Monasteriensis* 1712. Cf. primum supplementum *Au véritable état du différent élevé entre le siège apostolique et les trois électeurs ecclésiastiques.* (Auctore cl. Feller).

nuntio, vetitoque quocumque cum Romana curia commercio, episcopis agendi rationem ac formam praescripsisset, illico summus hic pontifex iisdem praesulibus mandavit ne illis « beneficiorum collationibus, dispensationibus etiam matrimonialibus, » recursibus, appellationibus aliisque similibus, quae ab apostolico tantum nuntio cognosci, expediri, atque agi consueverunt, manum ullo modo apponerent. « Nullam enim, inquit pontifex, in huiusmodi rebus facultatem vobis utcumque episcopis, etc. competere, aut per huiusmodi absentiam nuntio nostri devolutam fuisse aut accrevisse declaramus, et nihilominus, ne ullus supersit dubitandi aut interpretandi locus, et ad ulteriorem cautelam, omnem vobis circa praemissa potestatem prorsus adimimus, irritum ac inane declarantes quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit (54). » Quibus ex verbis facile est colligere, quatenus summis pontificibus sententia haereat, etiam quum de casibus agitur, in quibus nonnulli exceptionem facere solent in favorem episcoporum.

Alterum documentum sit Pii VI. Breve datum an. 1782. ad archiepiscopum Trevirensis, quo damnat ac improbat edictum Caesareum, vi cuius mandabatur, ut *episcopi dispensent iure proprio* ab impedimentis dirimentibus. Postquam enim summus pontifex asseruit, ad Ecclesiam spectare potestatem constituendi impedimenta connubialia, infert relaxationem ab iisdem impedimentis a solo Rom. pontifice ad coniugium legitime seu valide ineundum auctoritate propria posse concedi, atque his verbis concludit: « Etiamsi episcopalis auctoritas, ut nonnulli doctores contendunt, ab ipso immediate Deo procederet, certum tamen constansque esse debet, illam auctoritatem non extendi ad faciendas iure proprio in generalibus Ecclesiae legibus dispensationes sine expressa vel tacita saltem concessionem superioris, a quo sancitae illae sunt, potestatis. Fidei enim dogma est, episcoporum auctoritatem, vel si a

(54) Cf. Clementis XI. pont. max. *Epistolae et brevia selectiora* tom. I pag. 566 seq. Romae 1724.

» Christo immediate emanarit, subiectam tamen esse Rom.  
 » pontificis auctoritati: qua fit, ut subesse debeant apostolicae  
 » Sedis statutis et venerabilibus canonum decretis, in quae si  
 » quis commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Neque  
 » minus certum idcirco erit, eandem episcoporum auctoritatem  
 » ab illa superiore ordinis hierarchici potestate intra quosdam  
 » limites circa usum et exercitium restringi et contineri posse.  
 » Omnino igitur sustineri neutrum potest, vel Ecclesiam iure  
 » proprio non habere potestatem constituendi impedimenta di-  
 » rimentia, vel episcoporum quemlibet posse impositum ab  
 » Ecclesia catholica legis vinculum dissolvere (55). » Hactenus  
 » Pius VI. cuius verba adeo perspicua sunt, ut commentario  
 » non egeant.

Tertium documentum nobis exhibet idem summus pontifex  
 Pius VI. in litteris datis ad archiepiscopum Coloniensem et  
 episcopum Monasteriensem an. 1787. quibus probavit encycli-  
 cam, quam nuncius apostolicus ad tractum Rheni, Bartholomaeus  
 Pacca, summi pontificis iussu superiore anno vulgaverat. In hac  
 edicebatur, non potuisse episcopos relaxationem concedere a  
 gradibus consanguinitatis, qui in indulto apostolico, quod  
 singulis quinquenniis dari consueverat tribus episcopis electo-  
 ribus non continebantur (56). Quod cum aegre ferrent illi  
 archiepiscopi et episcopi, querelas fecerunt apud summum  
 pontificem, tanquam de iniuria sibi illata; iis porro Pius VI.  
 inter caetera scripsit: « Si ius esset episcopis relaxare legem  
 » impedimentorum matrimonialium ab Ecclesiae potestate consti-  
 » tutam, et ubique in catholicis ditionibus receptam, tota evertetur  
 » Ecclesiae disciplina, caput subiiceretur membris, ac

(55) Apud Roskovány *Monumenta catholica* tom. I. pag. 547. Quinque Ecclesiis 1847.

(56) In hac encyclica Barth. Pacca exhibet ordine chronologico indulta, quae ad quinquennium tribus electoribus dabantur ab apostolica Sede ab an. 1645 et 1785. Cf. *Mémoires storiche* di monsignor Bartolomeo Pacca, or card. decano del sacro collegio sul di lui soggiorno in Germania del 1786. all' an. 1794. in *qualità di nunzio apostol. al tratto del Reno dimorante in Colonia* ed. 2. Benevento 1855.

« proinde actum esset de ecclesiastica hierarchia divinitus ins-  
 » tituta (57). » Quibus verbis summus pontifex intimam expressit  
 rationem, quare episcopis convenire nequeatius proprium relaxandi  
 in impedimentis ab Ecclesia statutis.

Quartum documentum suppeditat Pius VII. in Brevi 27. Febr. 1809. quo de quibusdam episcopis Gallis conqueritur, quod licet alii plures sibi concedi prorogarique facultates postu-  
 laverint ab apostolica Sede, ii tamen id facere omiserint: « Dis-  
 » simulare non possumus, inquit pontifex, non parum nobis  
 » admirationi fuisse, quod plurium Galliae antistitum litterae  
 » minime ad nos perlatae fuerint, tanta enim facultatum neces-  
 » sitas, quanta premi sese urgerique tot alii eiusdem imperii  
 » praesules nobis exposuerunt, omnes certe ad novam earum  
 » concessionem implorandam suadere et propemodum impellere  
 » debuisset. Coniicimus quidem nonnullorum, qui ad nos scrip-  
 » serunt litteras, aut nondum perlatas ad nos, aut fortasse  
 » etiam fuisse deperditas; nollemus tamen, (quod certe non  
 » sine gravi suspicamur indicio,) episcoporum aliquos idcirco fa-  
 » cultatum prorogationem ab hac sancta Sede non postulasse,  
 » quod perversam periculique plenam opinionem imbiberint,  
 » posse se iure proprio in iis quoque dispensare aut absolvere,  
 » quae generalium conciliorum sanctionibus, summorum pon-  
 » tificum decretis, diuturno usu per universam Ecclesiam  
 » recepto, Romani pontificis potestati reservata sunt: at ipsi  
 » viderint, si forte, (quod absit,) id sibi arrogaverint vel arro-  
 » gent, quid egerint, quidque agant (58). » Porro cuique pers-  
 pectum est summum pontificem aperte veluti digito indicare  
 dispensationes connubiales, de quibus in hoc Brevi potissimum  
 agitur.

Benedictus XIV. antequam pullularent tot novitatum aucu-  
 pes atque apostolicae Sedis detractores in celeberrimo opere *De*

(57) Apud Roskovány op. et loc. cit. p. 557.

(58) Apud Moser in *Collect. declarationum et decretorum Rom. pontificum circa varia dubia matrimonium concernentia*. Ad calcem op. *De impediment. matrim.* n. XVII.

*synodo dioecesana* lib. IX. cap. II. totam hanc quaestionem iamdiu expenderit, reiectisque nonnullorum doctorum apparentibus rationibus, quibus persuadere adnisi erant, in aliquibus casibus posse episcopos in publico impedimento relaxare, sartam tectamque Rom. pontifici hanc removendi impedimenta potestatem asseruit, concluditque monito Cabassutii : « Sane istae ab » episcopis concessae dispensationes pro contrahendis coniugiis, » aut nullitatem aut incertitudinem causant sacramenti. At vero » in re sacramentaria unanimes docent theologi, non esse licitum quidquam incerti adhibere, eo certo medio praetermisso, » quod adhiberi possit. Atque ita licentia ista vel nefariam » inducit sacramenti nullitatem, aut ad summum, tutiore simul » et probabiliore opinione reiecta, minus probabilem, nec » tutam, in tanti momenti sacramento consecratur opinionem. »

His omnibus praeiverat Pius IV. Cum enim ad hunc pontificem principes et electores Germaniae varia, ut dicebant, gravamina detulissent, inter haec recensuerant quoque dispensationes sanctae Sedi reservatas, quibus summus pontifex respondit « Iniustissima ( eos ) petere; nam ubi archiepiscopi aut » episcopi potestatem habeant dispensandi in his, quae in huius » S. Sedis auctoritate constituta sunt, hoc est inferiores et » subditi in lege superiorum suorum, nisi ubi eis hoc expresse » permittitur, omni iuri, omnique rationi contrarium esse, » indubitatum est (59). »

Cum igitur ex allatis tum argumentis, tum documentis apertissime constet, sive ipsa rei, qua de agitur, spectata natura, sive totius antiquitatis conspiratione et praxi, sive saniorum theologorum et iuris canonici interpretum communi consensu, praecipue vero Romanorum pontificum iterata doctrina et auctoritate excludi episcopos a iure solvendi impedimenta matrimonium

(59) Hoc Pii IV. responsum urget Pius VI. in laudato Brevi ad archiep. Coloniensem, ac reperitur apud Raynaldum continuatorem annal. Baronii ad an. 1563. n. 44. ed. Lucens. 1756. tom. XV. pag. 371.

dirimentia, inutili plane conficiuntur labore, qui iisdem illud vindicare vellent (60).

ARTICULUS III. — Argumenta expenduntur, quibus Neoterici episcopis vindicare saeperunt ius proprium relaxandi ecclesiastica impedimenta Matrimonium dirimentia.

Mirum est quomodo in re adeo perspicua tot tantasque potuerint novarum rerum cupidi tenebras affundere ad adstruendum contra communem doctrinam ius episcoporum proprium removendi impedimenta, quae irritum ac nullum reddunt coniugium. Istorum adinventiones et commenta in unum colligere placuit, ut ex eorumdem discussione magis pateat, quo abducant homines, alioquin ingenio, sagacitate atque scientia praeditos, innovandi pruritus, assentandi studium, et animus in apostolicam Sedem hostilis.

Nonnulli igitur adscito atque adoptato principio ceu axiomate extra omnem controversiam posito, quod « quidquid potest » pontifex in universo orbe, si ea excipias, quae totius Ecclesiae » statum respiciunt, uti fidei articulum definire, potest id episcopus in sua dioecesi, nisi specialiter papa illud sibi reservaverit, » inferunt : ergo episcopi etiam seorsum sumpti possunt in sua quisque dioecesi dare relaxationem, prout eam praebet Rom. pontifex in universa Ecclesia, cum non constet, eam facultatem summos pontifices sibi reservasse, aut eis ab aliquo oecumenico concilio reservatam fuisse (61).

(60) Quid vero possint episcopi praestare hac in re auctoritate propria luculenter exponit Benedictus XIV. loc. cit. Ac primo absque dubio possunt dispensare ab impedimentis impediens, si tres casus excipias, sponsalium, quae cum altero inita sint, quaeque eo invito solvi non possunt; voti ingrediendi religionem, et castitatis perpetuae, quae sunt apostolicae Sedi reservata. Dispensare itidem valent ab impedimento dirimente occulto, cum quo publice contractum est matrimonium, concurrentibus tamen sex circumstantiis, quae ibidem recensentur, et quidem pro foro tantum interno. Demum ex communi doctorum sententia, Sanchezio praeunte lib. 2. disp. 40. n. 7. gravi urgente necessitate, cui nullus alius modus suppetat occurrendi, possunt episcopi dispensare ab impedimento occulto antequam celebretur matrimonium.

(61) *Collat. andegav. dogm. et moral.* I. conf. *Dispens. de matr.* 2. quaest.